Illmo ac Revmo Dno Ignatio Equiti De Sono

Firmi die 12 ... 1846 — A Sanarelli

CUM ANNUA SOLLEMNIA FIRMI

PERAGANTUR

PHILUMENAE VIRGINI ITEMQUE MARTYRI

PATRONAE SALUTARI PASSIM IN VOTA GENTIUM

VOCATAE

MAGNIFICE PRAEEUNTE RELIGIONI CONFRATRUM

AB EJUSD. DIVÆ AUSPICIIS PENDENTIUM

ANGELO PRAESULE FAZZINIO VIC. ARCHIEP.

EID. SEQUENS A SOCIIS DICATUR

TYP. ARCHIEP. MDCCCXLIIII.

ELEGIA

Non Tu lucidior semper, non dulcior Orbi
    Philumena o Virgo, Laus et Imago Tua?
Parthenope det jure fidem, Mugnanaque Tellus
    Quae facta est miris clarior exuviis.
Ipsa Domus Divûm, terrarum et maxima Roma
    Thesauri aetherei nescia semper erat.
Parthenope detexit opes, secumque revexit,
    Quod desideriis cuncta habuisset humus.
Acciti hinc populi Ausoniae, gentesque remotae
    Miranda effantur Virginis aureolae.
Et qui depulsos morbos, reditumque vigoris,
    Et quibus aegra fides signa timenda tulit.
Promere non animus mortalibus Alma quot affers
    Munera, quae doctis condita in historiis.
Fama (licet quidquam vix sit velocius illa)
    Tam multis queritur tardior ire locis.
Non Tibi sexus abest, non quaeque infirmior aetas;
    Ulla nec est toto dissita in Orbe plaga,
Quae non Te celebret vario certamine pompae,
    Quae non poscat opem, rite canatque Suam.
Si terrae tractus felix it Numine tanto,
    Parthenopae compar Marchia Firma subit.
Ardue Tu Vertex Noster, de culmine Petri
    Firmiter eductus, firma Columna Sion;
Tu reliquis circa populis dominarier ausus
    Firmasti ad superos, Sixtus et Ipse docet (*):
Hic plexis pueri, juvenesque, senesque corollis
    Divam ornant, sistris, ingeminantque lyris.
Hic fraterna Cohors tanta Auspice adaucta per annos
    Currit in eximias Relligionis opes.
Fervet opus jussum, pompa ipsa fluensque diei
    Palmam aliis gestit praeripuisse plagis;
Magnifico praeeunte Viro, Qui luce corusca
    Morum, non tantum voce movere solet.

(*) Consule, quae Sixtus Pp. V erigens Metropolim Firmanam in praedicationem ejusdem civitatis profatus est.

CAJ. SACERD. PROF. TORRIUS BONON.